DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

APOPLEXIA.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

EWALDI HOLLEBEEK,

THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS IN ACAD. LUGD. BAT. ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, *& Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

EMMANUEL ARGYROPULUS,

THESSALONICENSIS.

Ad diem 13. *Aprilii* MDCCLXIV. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud PETRUM VANDER EYK, 1764.

VIRIS

NOBILISSIMIS

AC

PLURIMUM REVERENDIS

D. ARGYROPULO ARGYROPULO,

LEGATORUM VARIARUM RERUM-
PUBLICARUM INTERPRETI.
PARENTI OPTIMO.
SUMMA PIETATE AD ROGUM USQUE COLENDO.


ET

D. GEORGIO TYANITAE,

MERCATORI VIGILANTISSIMO
AMICO INTEGERRIMO PARENTIS
INSTAR REVERENDO

S. P. D.

EMMANUEL ARGYROPULUS.



Non longe mihi petendae sunt rationes, cur vobis potissimum, Viri Nobilissimi ac plurimum Reverendi, hasce meorum in Medicina studiorum primitias dedicatum eam;

 ut

ut enim agricolae votis damnati Cereri frumenta, & Baccho sua dona offerre solebant, sic itidem ego, non degener Musarum cultor, Vobis munera vestra, cum sollemni gratiarum actione hanc meam Inauguralem Disseatattionem sistere gaudeo. Mereatur hoc, Parens optime, tua pietas & tenerrimi amoris affectus, quo me amplecti solitus semper fuisti, ut ne per integrum vitae spatium tanto amori respondere queam. Tibi vero, TYANITE optime, quas dignas umquam gratias referam, qui parentis instar me filii loco habuisti, atque ad bonam mentem, & lautioris fortunae spem fingere &. erigere, ac quibuscunque officiis demereri dignatus fuisti. Ferreus mehercules! fuerim, si tantorum beneficiorum memoriam umquam deposuerim.

Accipite igitur, Nobilissimi ac plurimum Reverendi Viri, hanc meam Dissertationem laeto & benigno vultu, dum majora praestare & officiis vestris paria facere nondum possum. Sic tandem ex vestrâ in EMMANUELEM curâ, solidam voluptatem capiatis. Sic vos servet Salus! Valete.

DIS-




DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

DE

APOPLEXIA.



§. I.



i quis ſtupendam corporis humani, ab Omnipotente Creatore artificioſiſſime conformati, fabricam attento oculo perſpexerit, & vel modicam hujus ampliſſimae, in qua verſamur, ſcientiae ideam habuerit, non mirabitur innumeris illud ſtupendisque morbis obnoxium reddi: nec de hac veritate dubitare umquam poterit, ſi diverſam variarum corporis noſtri partium compoſitionem, con-

ſtructionem, nexum, & animationem bene attendat, diſcrepantiamque principiorum, quibus haec Machina per ſe iners in motum deducitur; diverſam item rerum externarum, non naturalium, potentiam, quarum uſu nascitur, viget, creſcit, minuitur, interit, tandemque deſinit; quae tamen omnia Medicus Dogmaticus Naturae miniſter, ſi officio ſuo in curandis aegris probe defungi velit, certa ratione cognoscere & in numerato habere debet.

§. II.

In corpore enim humano praeter principium, quod communi ſenſu *Animam* vel *Mentem* appellamus, obſervamus & aliud, quod *vis vitalis* nomine venit, & ἐνορμῶν ab Hippocrate dicitur: quae quamquam per mutuum mentis cum corpore commercium indiſſolubili velut nexu inter ſe juncta ſunt, ut alterum ſine altero exiſtere non poſſit, tamen multum inter ſe differunt, ſive illorum naturam, ſive partes, quas in hac inerte machina regunt, ſeu diverſos modos, quibus operantur, ſpectare velis. Alterum enim per totum corpus diffuſum eſſe obſervamus; Alterum in Senſorio communi tantum ſuam ſedem habere. In hoc facultatem conſcientiae, intelligentiae, memoriae & judicii, omnesque motus animales & qui a voluntatis arbitrio pendent: in illo facultatem perceptionis, ſenſationis, irritationisque qua, in alterum tranſit: quâ omnes fere vires naturae conſervatrices, medicatrices, deſtructrices, item omnes motus automaticos, qui mente non imperante aut etiam ignorante peraguntur, ori-

originem ſuam proxime ſortiri deprehendimus. Horum tamen duorum principiorum functiones tam cito peraguntur, ut ἀδύνατον fere videatur diſtinguere, num ab hoc vel illo ſolo, an vero ab utrisque ſimul pendeant, unde materia cavillandi litigandique inter ſagaciſſimos Viros exorta fuit.

§. III.

Cum igitur omnes motus, qui in corpore Humano vitâ ſuperſtite peraguntur, omnesque functiones duorum principiorum a mutuo commercio mentis cum corpore pendeant, quod per ſenſorium commune fieri intelligitur; cumque ex ante dictis pateat, nullam corporis noſtri dari partem a morbo immunem, cujus vi non ſingulae tantum partes; ſed & totum corpus vexatur, perturbatur & deſtruitur: & hoc ipſum Senſorium ſenſoriorum, a quo humanitas pendet, ſuis quoque non careat morbis, quibus afficitur deſtruiturque, magno detrimento hominis, quos omnes pertractare tironi longum & difficile fuerit. Hinc ſpeciminis loco, ut profectuum meorum in Arte Salubri conſtet ratio, de Apoplexia ſcribere aggredior.

§. IV.

Morbum in corpore noſtro dicimus adeſſe, quando cujuscunque partis functionem laeſam obſervamus, quae functio laeſa velut effectus morbi eſt. Suas igitur habet cauſas, quibus poſitis ponitur; ablatis

tollitur, deficientibus imminuitur, ſuaque ſymptomata, quae effecta morbi ſunt, ut ſigna pathognomonica, quibus cognoscitur, aut diagnoſtica, quibus ab aliis diſtinguitur, quae omnia cujuscunque morbi tanquam attributa ſunt, quorum cognitione Medicus carere nequit. Ut enim morbus rite definiatur, ſigna ejus Diagnoſtica ſeligenda ſunt, quibus ſemper ſtipatur, & ab aliis diſtinguitur.

Morbus igitur, quem *Apoplexiam* vocamus, ſuum nomen habet a Græca voce ἀποπλήσσω vel ἀποπλήττω, quae *percutere* ſive *percellere* ſignificat, eſt laeſio ſenſorii communis, inferens ſubitam abolitionem ſenſuum externorum & internorum, motuumque voluntariorum, quae hominem tamquam profundiſſimo & inextricabili ſomno proſtituit, ſuperſtitibus tamen actionibus vitalibus, pulſu pleno, ſatis forti & ſaepe celeri cum operoſa, profunda, difficillima & ſtertente reſpiratione, ſalivaeque deſpumescentia circa os, quibus ſymptomatibus differt a *Catarho ſuffocativo*, *Caro*, *Lipothymia;* quae tamen, aliquamdiu durante morbo, plenarie ceſſant, ſequiturque mors. Ut vero ordine certo procedam, diviſionem ab Eruditis Auctoribus factam proſequar.

§. V.

Ob ſubitos velocesque hujus morbi inſultus inter acutos refertur, dividiturque in *Apoplexiam Sanguineam* & *Seroſam*, ſub qua diviſione & aliae hujus ſpecies intelligi poſſunt, quales ſunt, *Atrabilaria*, *Polypoſa*, *Pituitoſa &c.* quarum omnium cauſa proxima eadem, & effectibus tantum differunt.

San-

Sanguineam igitur *Apoplexiam* dicimus adesse, quando vasa encephali a coacervato & obstructo sanguine distenduntur, dilatantur, diameter illorum admodum augetur, ita ut medullam cerebri illis substratam comprimant & laedant, vel vi sanguinis a tergo prementis, aut a quacunque causa externa vel interna rupturam patiuntur; unde contenti cruoris extravasatio oritur, qui mole sua & gravitate, totum sensorium commune, omnesque nervos, qui ab hoc oriuntur, valide premens, distributionem spirituum animalium per illos impedit; atque ita sequitur abolitio sensuum externorum & internorum, & motuum voluntariorum; quare & a nonnullis Ictus sanguineus, aut Hæmorrhagia cerebri audit.

§. VI.

Species secunda hujus mali *Apoplexia Serosa* dicitur, quando colluvies serosa, lympha pituitosa acris, in ventriculis, sinibus vel anfractibus cerebri collecta, aut vesiculas pituitosas, species hydatidum, format, vel qualicunque modo, cerebrum comprimit; seu acrimonia sua vasa corrodit, easdem fere functiones laedit ac sanguinea; pro diversa igitur potentia causarum morbificarum cerebrum comprimentium diversi etiam dantur hujus morbi gradus. Triplici enim modo comprimitur cerebrum; nam 1°. vel a majori causa illud totum premitur, omnesque functiones illius delentur, ut in *vera exquisitaque Apoplexia*; aut 2°. minori, ita ut sensus motusque aliquod vestigium remaneat, ut in Parapoplexia, de qua nullam mentionem Græci

Auctores fecerunt; vel 3°. materies morbosa solummodo partem aliquam sensorii communis comprimit, diversasque alias species hujus morbi producit, ut *Hemiplegias*, *Lethargos*, *Paralyses particulares &c.* quarum omnium certa signa dantur pathognomonica, diagnostica, quibus cognoscuntur & a se invicem distinguuntur.

§. VII.

Positis his fundamentis ad symptomata accedamus, quorum perfecta cognitione Medicus carere neutiquam potest; veram enim naturam morbi & indolem illa docent. Dantur Symptomata utriusque speciei tam communia, quam specialia: Communia sunt, dolores capitis cum aliquo sensu temulentiae pro magnitudine morbi variantes; vertigo recurrens sive caduca; respiratio laesa; stupor omnium organorum sensationis ac motuum voluntariorum; tandem horum plenaria abolitio.

§. VIII.

Specialia Symptomata & primo *Sanguineae Apoplexiae* sunt dolores acuti, punctorii, a Nucha incipientes, versusque interiora occipitis se extendentes; crebrior susurrus ac tinnitus aurium; visûs perturbatio, ita ut oculi tamquam scintillas aut flammulas videant, vel nebulis obortis obscurentur; venarum jugularium turgescentia, a qua rubor & calor totius faciei saepe recurrens; sub ipsaque invasione morbi

vasa

vasa temporalia admodum impleta turgescunt; oculi aperti, rigidi; pupilla illorum admodum dilatatur; rubedo genarum mox per totam faciem diffusa; pulsus plenus, celer ac fortis; tandem ronchus cum difficili respiratione, vitaliumque actionum abolitio.

§. IX.

Serosae Apoplexiae symptomata prioris symptomatibus fere contraria esse observamus: ponit enim crebriorem vertiginem, inprimis post digestionem peractam, cum sensu pressionis circa frontem; frequentem dormituritionem; titubationem linguae insolitam; memoriae vacillationem; sub invasione morbi, collapsum vasorum sanguineorum; pallorem; caloris defectum; Actionum vitalium debilitatem & languorem; pulsum debilem & inaequalem; respirationem tamen non tam graviter laesam ac in sanguinea; saepe & accidentalia hic observamus, ut Paralysin in toto vel aliqua corporis parte, post exercitationem motus convulsivos, ut vomitus, diarrhoeasque spontaneas.

§. X.

Ingens potentiarum numerus, quas observatio docuit, hujusmodi turbas creare, referuntur in causas *proximam & remotas* secundum Pathologos. *Causa proxima* hujus morbi est impeditus motus reciprocus fluidi nervei in nervos, qui intercipit illius influxum in sensuum organa, musculosque voluntati nostrae obedientes.

§. XI.

§. XI.

Causas remotas, quarum concursu proxima ponitur, constituunt abundantia humorum sanguineorum, serosorum (uti in hominibus plethoricis, obesis & pinguibus, aut leucophlegmaticis, cholericis observamus) mala conformatio corporis a nativitate, ut caput magnum, collum breve aut sex vertebris constructum; evacuationes sanguineae, serosae, vel quaecumque aliae excretiones auctae aut impeditae; mala hysterica, hypochondriaca, podagrica, epileptica; mentis immodicae exercitationes; nimia dispersio spirituum animalium a continua applicatione ad studia; colluvies aquosa, mucosa, quae encephali stamina inundando flaccida atque inertia reddit; quae humorum circuitu intensiori sursum sanguinem movent, eumque in vasis encephali accumulant. Hinc distentione, pulsatione, attritu, aestu vel errore loci, vasa obstruit, dilatat & disrumpit, atque ita extravasatus medullam cerebri praeter modum comprimit; quo etiam pertinet atrabilaria humorum crasis, quae omnes causae ad insultus Apoplectios praedisponunt, unde *praedisponentes* dicuntur, nactaeque majorem vel minorem occasionem diversos hujus morbi gradus constituunt.

§. XII.

Occasionales causae ab externa vel interna vi pendentes, magnam partem morbi continent, unde *&* *Con-*

Continentes vocantur; ſine his enim nullus morbus, & ſi ab occaſione caves, caves a morbo, qua poſita proxima cauſa ponitur, effectumque momentaneum producit. Huc pertinent impedimenta multifaria, ſive in ipſo cranio, ſive in inferioribus corporis partibus, aut vi quadam externa cranio illata, quae partibus encephali laeſionem inferendo, ſitum & nexum illarum pervertunt; canales obſtruunt, comprimunt, quaſſant, lacerant; motibus medullae ſtaminum obſtant; ſcirrhus, inflammatio, cordis arteriarum polypoſa concretio; contuſio; fractura; vulnus; abſceſſus; ecchymoſis; hydrocephalus & ſimilia, quae caput infeſtant; aut ingentia animi pathemata; cardialgia, colica, ſpasmi hyſterici & hypochondriaci, qui in inferioribus corporis partibus praedominantes humorum motus verſus ſuperiora determinant, unde nata *Apoplexia Spasmodica* dicitur; commotio ſanguinis in plethoricis ab aſſumtis ſpirituoſis diluentibus; vel ab oeſtro venereo; quaecunque irritationes, ſtimulationes, ſive proxima actione in ſenſorium commune agunt, ſeu per conſenſum eo propagantur; illiusque functiones perturbando, veram apoplexiam conſtituunt.

§. XIII.

Cum igitur dudum ab Auctoribus obſervatum ſit, Vim vitalem ab actionibus vitalibus pendere, quae ſi ſecundum Leges Naturales peraguntur, illam in hoc fragili corpore ſuſtineri poſſe; ſi vero contra, innumerorum malorum originem inde ſequi, ultro patebit:

bit: Si enim Circulationis noſtri ſanguinis leges notas habuerimus, fere in omnium morborum cauſas penetrare poſſumus. Circulatio ergo ſanguinis requirit motum cordis Arteriarum, harum aequabilem Syſtolen & Diaſtolen. Neque tamen haec ſufficiunt; debet enim & certa quantitas hujus dari, & certae qualitates, quibus ab alio liquido diſtinguitur. Si enim hoc liquidum majore quantitate peccat quam Leges Naturæ patiuntur, ut in plethoricis & obeſis, ob efficaciorem illorum naturam, vitamque lautam, ſolutam, ſedentariam, vel ob excretiones ſanguineas impeditas, quibus natura a majore hujus quantitatas certo tempore ſe liberare conſueverat, ut haemorrhoidibus, menſtruis mulierum, haemorrhagiis narium, inde ſtupendorum morborum origo; nam ſi calore vel exercitio motus illius augeſcit, humores acres, denſi, velocius moventur; cor, vaſa arterioſa, venoſa, quorum tonus, elaſticitas a debita hujus quantitate pendet, diſtenduntur, dilatantur, tonum ſuum amittunt, atque diverſimode cerebrum totumque encephalum comprimunt, aut ob debitam ſuam conſtitutionem rupturam patiuntur; unde cruoris, lymphae, ſeri extravaſatio, ſecretionis ſpirituum animalium impeditio; omnium organorum ſenſationis obſtupefactio; aut materies obſtructa vel extravaſata, a diuturna ſtagnatione acrimoniam contrahit, qua vaſa, quibus continetur, corrodit, totumque encephalum deſtruit; unde ſubitaneae mortes; apoplexiae; paralyſes; cari, vertigines; vel ubi in aliis corporis partibus hoc accidit, diverſos morbos producit, uti in pulmonibus tabes, vomicas pulmonales & in-

innumeros alios morbos, quorum rationem reddere ſcopus non eſt.

§. XIV.

Non minus funeſtos effectus abundantia pinguedinis producit. In hominibus enim obeſis & pinguibus, ob efficacem viſcerum Chylopoëticorum naturam, oleum pingue ab ingeſtis ſeparatur, & cum Chylo per vaſa lactea & chylifera, in organa circulationis deductum, in membranam celluloſam demittitur, pro diverſis naturae uſibus ad mobilitatem muſculorum & ligamentorum conciliandam; quod vita lauta atque ſedentaria auctum, nullisque motibus exercitiisque dilutum; ut a venis abſorbeatur, atque per excretiones e corpore eliminetur, celluloſam telam admodum expandit & diſtendit: cutis quamquam cedit, reſiſtit tamen, muſculosque comprimit, tranſitum ſanguinis in minora vaſa impedit, quae ligamentorum inſtar coaleſcunt; inde motus humorum verſus interiora augetur; encephali vaſa dilatantur & diſtenduntur: hinc illi homines fiunt hebetes, torpidi, ad Apoplexiamque proni.

§. XV.

Nec minoris momenti morbos imminuta quantitas ſanguinis producit; ſtupendorum enim morborum cauſam hanc eſſe, ex innumeris obſervationibus conſtat. Cum enim nutritio ſecretioque ſpirituum animalium a debita quantitate ſanguinis pendeat, ex imminuta illius quantitate proxime ſequitur exinanitio & collapſio

vaſorum ſanguineorum ; caloris & coloris defectus; debilitas totius ſyſtematis motûs animalis & vitalis; naturae ineptitudo ad bonum chylum ex alimentis praeparandum ; inde defectus ſpirituum animalium; motus humorum imminutio ; qualitas ſanguinis vitiatur, ejusque elementorum fit ſeceſſio ; quorum intima mixtio a debita pendet circulatione ; unde abundantia humorum pituitoſorum, viſcidorum, acrium, aquoſorum , ad quos eliminandos naturae vires deficiunt, ut in ſenibus leucophlegmaticis , hydropicis , puellis chloroſi laborantibus obſervamus; quae omnia ſerius ocius Apoplexiam pediſequam habent , diverſasque hujus morbi ſpecies conſtituunt, uti in hominibus provectae aetatis tenuiſſimi vaporis in cavitatibus corporis exhalatio (quemadmodum inſpectio cadaverum nos docet) ſaepe ob vaſorum abſorbentium inertiam, in liquidum palpabile mutatur, quod in cavitate Cranii gradatim auctum encephalum comprimendo , veram Apoplexiam producit.

§. XVI.

In robuſtioribus hominibus , quamquam bona debitaque quantitas ſanguinis datur , per valida tamen corporis motûsque exercitia , vehiculum aquoſum, quod ſanguinem omni concretione prohibet , & in liquida forma retinet, per ſudores, perſpirationemque Sanctorianam, aliasque excretiones aquoſas , ſeroſas, excernitur & evaporatur; quod vero remanet tenax, ſpiſſum , atrum , inflammabile , ad obſtructionemque pronum evadit ; unde omnium morborum acutorum ori-

origo pendet. Si enim talis materia in encephali vasis obstruitur, ibi nata inflammatio funestos effectus, perpetua deliria, vertigines, paralyses, Apoplexias, mortemque producit. Si vero in inferioribus corporis partibus hoc fiat; tumores varii inflammatorii, scirrhosi, producuntur; quae vasa comprimendo sanguinis transitum impediunt, eumque versus superiora determinant: funesti morbi, quos producunt, ex antedictis patent. Ex his jam positis, facile innumerae aliae causae eruuntur; quibus enumerandis, ob temporis penuriam vacare jam nequeo.

§. XVII.

Subjecta igitur, quae magis minus ad insultus Apoplecticos praedispposita sunt, referuntur homines provectae aetatis annosiores, obesi, pingues, plethorici, vitam lautam & sedentariam agentes, cum mala conformatione corporis a nativitate; aut qui ob defectum virium naturae Cacochymia vexantur, vel ob impeditas excretiones alvinas, sanguineas, serosas, abundantia humorum inquilinorum in corpore laborant; seu quibus a continua applicatione ad studia quantitas spirituum animalium imminuta est, aut insignis defectus; vel qui morbo quodam chronico vel acuto laboraverunt, cujus materies morbosa in interioribus partibus haerens, & nondum per molimina naturae e corpore est expulsa, quae nata occasione ad cerebrum deducta, funestam Apoplexiam, producit.

§. XVIII.

Poſt enumerationem cauſarum Symptomatumque hujus morbi; quae ſubacto caſtoque ratiocinio detegere & diſtinguere debet Medicus, ne effectus cum cauſâ confundantur, non deſunt etiam hujus morbi phaenomena prognoſtica, quae in ſubjectis praediſpoſitis hujus mali ortum praecedunt, quae cognitu utiliſſima ſunt Medico ad curam hujus morbi feliciter tentandam; quales ſunt paralyſes in muſculis faciei, genarum, linquae, labiorum, maxime dum cibum capiunt; dolor obtuſus capitis; inflatio ſuperiorum, vertigo; Scotomiâ; memoria vacillans cum moleſto ſuſurro & tinnitu aurium; reſpiratio difficilis, ſoporque perpetuus; ſtupor ſenſuum externorum & internorum, quae incommoda Medico, rite cognita, ſaepe occaſionem ſuppeditant aptis remediis incurſum hujus mali avertendi.

§. XIX.

Mitiores hujus morbi gradus ſaepe naturae vigilantis motus, quae cuicunque morbo ſuas vires conſervatrices medicatricesque opponit, ut hoſtem, qui ſuas functiones perturbat, e corpore ſuo eliminet & expellat, aptisque medicamentis a Medico naturae miniſtro exhibitis, ſæpe curantur; quippe uti in omnibus morbis, non raro haec molimina naturae obſervamus, ita ſaepe in hoc etiam morbo ſua ſponte eo dirigitur Natura, ut ſudore calido, aequali & diuturno,

no, alvique fluxu aut haemorrhoidum five menftruorum largo effluxu, multoque lotio fedimentum pituitofum demittente, violentaque febre fuperveniente, hoc malum refolvatur. Graviores tamen hujus morbi gradus a talibus naturae moliminibus raro curantur, neque etiam femper dantur, cum fuperatis fcilicet viribus Natura morbo victoriam cedit.

§. XX.

Graviores hujus morbi gradus, quamvis aliquando horum caufa morbifica fuperetur, tamen femper tranfeunt in Paralyfes, Hemiplegias, Paraplegias, quae raro curantur; fæpe enim memoriae, judicii, vel motus cujusdam laefiones relinquunt, *adeo* nempe *rare eft victorea fine vulnere!* unde ab omnibus auctoribus tamquam graviffimus morbus judicatus eft, atque fagax Hippocrates dixit, validam Apoplexiam effe infanabilem, levem curatu difficilem; & hoc verum effe Experientia & Obfervationibus multis certe conftat, fcilicet in hominibus annofioribus, obefis, pituitofis, quorum natura ob defectum virium impotens eft ad talem materiem ferofam, pituitofam, vifcidam, acrem, e corpore expellendam, quæ gradatim in encephalo collecta, funeftam Apoplexiam producit, nullo remedio cognito medicabilem.

§. XXI.

Graves etiam & momentofae funt Apoplexiae a meta-

metaſtaſi cujuscunque materiei peccantis morborum chronicorum aut acutorum, ut in hypochondriacis ſiccis obſervamus: in quorum corpore materies morboſa facta levi obſtructione, per longum temporis ſpatium occultatur & latet, ſed ſaepe ex praegreſſa cauſa quadam vehementiori, motuque organorum circulationis aucto, talis materies tenax, ſpiſſa, atrabilaria, ſtagnans in motum deducitur, & vi quadam ad partes encephali rapitur; tum ibidem tenacitate picea & ſpiſſitudine ſua ſtagnationem & obſtructionem parit, atque vi ſanguinis a tergo prementis impulſa vaſa ita diſtendit, dilatat; partes interiores encephali & medullam ipſam cerebri comprimit & coërcet; aut acredine ſua per Diabroſin vaſa, quibus continetur, corrodit, diſſolvit, extravaſatur, & ſic Apoplexiam funeſtiſſimaque ſymptomata parvo temporis ſpatio, atque ipſam denique mortem producit.

§. XXIII.

Funeſtiſſimam hujusmodi indolis Apoplexiam in Podagricis experimur: in ſenibus enim frigidis podagricis ob imbecillitatem naturae, talis materies podagrica in conſueto loco non detinetur, motaque cauſa occaſionali, in quamcunque partem corporis deducitur, funeſtos ſtatim morbos producit, quorum nulla curatio, niſi ſola materiei peccantis e corpore expulſione, quod fere fieri non poteſt: vel in conſuetum locum deductione, quod non facile. Quippe in cerebrum deducta momentaneam parit Apoplexiam, cujus fere certa pediſequa mors. Futurum hujus exi-

exitialis morbi finem annunciant ſubita integraque extinctio omnium ſenſuum externorum & internorum, ac motuum voluntariorum; reſpiratio valde operoſa cum ſtertore per intervalla; expulſio ſalivae deſpumeſcentis circa os; ſudor frigidiuſculus, qui ſuperiores occupat tantum partes; tandem vitalium actionum vel functionum abolitio.

§. XXIII.

Exquiſitae fortiorisque Apoplexiae cura nulla adhuc cognita, omniaque artis auxilia in caſſum tentata hactenus fuere; infert enim citam extinctionem functionum utriusque ſyſtematis animalis & vitalis, ob materiei obſtructae extravaſationem, aut ob illius acrimoniam.

Cum vero peritiſſimi in arte Doctores abolitionem ſenſuum motuumque animalium, ſuperſtitibus tamen actionibus vitalibus in Apoplexia obſervaverunt, cauſamque hujus phaenomeni explicare voluerunt, inde materia cavillandi diſputandique ortum duxit: in ſcriptis quippe plurimorum, qui veriori & ſeveriori Anatomiae operam navant, legimus cerebellum a cerebro ſeparatum inveniri, nervosque cardiacos cum diaphragmaticis ab hoc oriri; inde concluſerunt, omnes motus vitales ab his pendere, atque in Apoplexia etiam peragi poſſe; licet cerebrum cum nervis, qui ad voluntarios motus deſtinati ſunt, penitus omni actione carerent; dubitandum tamen eſt, an in ſolo cerebello ſit cauſa horum motuum vitalium ſuperſtitum; dicendumque potius videtur, hujus phaenomeni cauſam

ignorari, quam nova argumenta proponere, quae veritati praejudicium faciunt; & quamquam experimenta in dissectis vel ligatis his nervis instituta, actum esse de vita demonstrent, tamen neque observationes desunt, quae contrarium evincunt. Saepe enim accidit, ut foetus maturi novimestres nascantur, omnibus partibus encephali orbati, qui tamen per aliquod spatium temporis, utut breve sit, vitam producere deprehensi fuerunt; quin etiam cor humanum ex corpore exemptum, omnibus nervis dissectis, motum suum continuat per sat longum spatium temporis; existimandum igitur potius est cordi ab Omnipotente Creatore talem facultatem datam esse, in cujus miraculi naturae explicatione humana mens titubat & semper titubabit.

§. XXIV.

Licet autem a Celeberrimis artis Professoribus, hujus morbi causae ad Classes quasdam redigantu, , tamen in eo omnes conveniunt, quod ab iis partes quaedam medullae cerebri comprimantur, influxusque & secretio spirituum animalium, qui ibi secernuntur, ita impediantur, quae cognita Pathologia facile eruuntur; unde paret, cur plethora boni sanguinis stupendorum malorum origo? Unde materies atrabilaria, pituitosa, acris, viscida? cur temperamenta unum plus altero ad hunc morbum producendum disponant? cur excretiones secretionesque auctae, imminutae, impeditae, scirrhi, inflammationes, polyposae concretiones cordis, arteriarum diversorum morborum hujusque

Apo-

Apoplexiae caufa? cur animi pathemata in praedifpofitis momentaneam Apoplexiam mortemque producant? atque ita de innumeralibus aliis caufis, quarum unam alteramque fi Medicus cafto ratiocinio detegere valet, facile ad omnes penetrare & illas exacte intelligere poterit. Si enim inflammationem in quacunque corporis parte fpectemus adeffe, quae natura durior, compactior, robuftior; atque noverimus a parva quantitate fanguinis obftructi illam in tantam molem augeri, rubere, calere, atque vi fanguinis, a tergo prementis, vafa disrumpi, diffolvi; fanguinemque obftructum ftagnantem in materiam ichorofam pus mutare, facile concipi poteft, a tali materia inflammatoria in vafis encephali obftructa, cujus fubftantia mollior, delicatior, multo pejora mala produci.

§. XXV.

Omnes ergo hae caufae merito ad Apoplexiam referuntur, atque in quocunque fubjecto exceffum harum ocfervamus, jure concludendum hoc infultibus Apoplecticis praedifpofitum effe, cum omnes caufam proximam contineant. Ut igitur in cura hujus morbi feliciter procedat Medicus, e phaenomenis pathognomonicis fymptomatibusque diverfas, gradus, fpeciesque hujus morbi accurato ratiocinio detegere & cognofcere debet; neque enim remedia, in Sanguineâ Apoplexia exhibita profuerit in Serofâ praefcribere, ut ex antedictis patet; neque fpecifica ulla dantur, quibus exhibitis morbus folvatur: a cognitis igitur diverforum remediorum effectibus, ad diverfas hujus mor-

bi caufas tollendas, & diverforum ejus graduum concludendum, quibus exhibitis, fcopum pofitum obtineamus. Aliquando etiam accidit, ut in eodem morbi gradu, durante compreffione cerebri, hemiplegiam experiamur, mufculorumque contractiones in uno latere faciei, ut os in hac paffione oblique tractum confpiciatur: Oppofiti enim lateris omnes partes a nervorum conftipatione, immobiles & infenfiles remanent, & ad hos terminos gradus lenioris Apoplexiae refertur. Curationis tamen judicatio eadem remanet, ac in vera & majori Apoplexia, in utraque eadem caufa, minori potentia tamen agens. Pro minori vel majori igitur gradu remedia etiam mitiora vel fortiora exhiberi debent.

§. XXVI.

Ex hifce rite jactis fundamentis, cum morbum hunc praefentem in aegro cognovit adeffe Medicus, diverforum medicamentorum eorumque virium & effectuum cognitione munitus effe debet, ut fciat quae exhibenda fint, [vel ante invafionem, vel in ipfo initio morbi, quae in tempore exhibita prodeffe posfunt; nam ut eleganter dicit ingeniofiffimus NASO:

Temporibus medicina valet, data tempore profunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Si enim malum invaluerit, tempusque curae praeterlapfum eft, brevi letale fuerit, ut idem Poëta recte ait:

Prin-

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Et quamquam aliquando accidit, ut aeger evadat, numquem tamen omnes functiones Sensorii Communis recuperantur; semper enim memoriae, judicii, vel cujuscnmque alterius functionis, aut motûs voluntarii laesio remanet, cum causa hujus morbi proxima compressionem medullae cerebri inferat*, adeoque hoc modo functiones animales & vitales laedantur. Omnibus igitur artis auxiliis tentandum est, ut haec causa tollatur, quâ ablatâ morbus tollatur, vel imminutâ imminuitur. Diversa igitur hujus morbi medela, a diversa curationis indicatione pendet, quâ idem morbus a se ipso differt.

§. XXVII.

Indicatio igitur *Sanguineae Apoplexiae* ob sanguinem majori quantitate peccantem, requirit, largam hujus copiam Venae sectione in brachio vel pede minuendam, atque si reiteratâ eâ opus sit, in venis jugularibus illam instituere possumus, ut citius faciliusque vasa encephali se evacuent, compressionemque inde productam tollant. Peractâ Venae sectione ad purgantia antiphlogistica pergendum, ut sunt Folia Sennae, Manna, Rheum &c. quae si non cito operentur, ad fortiora aut ad Clysteres acriores confugiendum; tumque ex pulpa Colocynthidis, Squilla, Helleboro, quibus ano injectis, alvus a fecibus compactis deliberatur, influxusque sanguinis versus inferiora augetur,

veſicatoriaque ex Cantharidibus femoribus aut inter ſcapulas applicanda, vel epiſpaſtica ex panis fermento, aceto & ſinapi ſemine contuſo, plantis pedum aut volis manuum admovenda procedendum, quae cito & ſine temporis mora peracta ſi nullum auxilium adferant, nulla Curationis ſpes remanet: Sin vero ſenſus motusque animales excitentur, interna remedia nervina exhibenda ſunt, ad elaterem, tonum, & elaſticitatem vaſorum reſtituendam. Tale remedium componi poteſt ex Tinctura ♂ ♀riſata, liquoris C. C. ſuccinati, Eſſentiae Pimpinellae albae, Ambrae griſeae &c. pannisque, vaporis Succini, Olibani, Maſtiches impraegnatis, partes corporis perfricandae. In quibus deglutitio laeſa eſt (quod fere ſemper contingit) plumulâ ſpiritu Salis Ammoniaci imbutâ undique fauces titillentur, osque decocto aromatico ſtimulante ſaepe colluatur, ſique indicatio curatoria non obſtat, vomitorium ex radice Ipecacuanhae cum vino rubro exhiberi poteſt, ut ſaburra ventriculum gravans evacuetur.

§. XXVIII.

Cum autem funeſtus hic morbus ortum ducit a tumore quodam in ipſa cavitate cranii nato, aut inferiore corporis parte, qui comprimendo evacuationem vaſorum ſanguineorum encephali in venis jugularibus impedit, ut ab inflammatione ſcirrho, tum omnia haec in caſſum tendanda fuerint, niſi enim tumoris fiat reſolutio, nulla ſanationis ſpes ſupererit. Si vero Apoplexiam natam obſervamus eſſe ab inflammatoria ſpiſſitudine ſanguinis, aut ab ejus poly-

lypoſa concretione in corde vel arteriis, medicamentis diluentibus, refrigerantibus, attenuantibus utendum eſt, peractâ Venae ſectione, pro conſtitutione circumſtantiisque aegri; ut ſalibus alcalinis fixis, volatilibus, ſale marino, Ammoniaco, gemmae, nitro, multisque aliis hujus generis medicamentis, quae in ſcriptis Auctorum materiei Medicae legi poſſunt; quorum uſu illud ſpiſſum, tenax, inflammabile diluitur, attenuatur, in motum deducitur, compreſſioque ab hoc producta tollitur. Hoc ſi obtinere non poſſumus, pars obſtructa inflammatur, ſuppuratur; quod ſi in cerebro fiat, certam mortem producit. Omnia ergo artis auxilia prudenter exhibenda ſunt, veſicatoria tamen non ante Venae ſectionem applicanda, quoniam lympham evacuando ſpiſſitudinem ſanguinis augent.

§. XXIX.

In quibus aegris colluvies ſeroſa, aut materies lenta frigida in ſuſpicionom venit hunc morbum produxiſſe, pro conſtitutione aegri omni artis molimine tentandum, ut affluxus humorum in vaſa encephali jam oppleta reprimatur, quod aliquando facile fit ad minus periculoſa loca derivando, aut e corpore eliminando, pro qua indicatione curatoriâ omiſſâ Venæ ſectione ob defectum boni ſanguinis, quantitatis, in cachecticis corporibus fortiora repetitaque laxantia exhibenda erunt, ad tenaces, frigidos, lentos humores revellendos, evacuantiaque, ut pars ſaburrae pituitoſae tollatur; cavendum tamen, ne medicamenta cardiaca, motum humorum excitantia, exhibeantur:

Al-

Alvus igitur clyſteribus acrioribus ſollicitanda eſt, quibus abundantia humorum corruptorum evacuatur; Veſicatoria etiam hic multum juvant, cum veſicam formando magnam copiam lymphae viſcidae, pituitoſae colligunt per plures dies, motus vitales excitant; etiam fonticuli, cucurbitae epiſpaſtica multum juvant.

§. XXX.


Cum igitur in Apoplexia, a lentore humorum aut ab obſtructione ſanguinis productâ, aptis medicamentis ſine mora temporis exhibitis, reſtitutionis ſpes remanet; in ea vero, quae ab extravaſatis humoribus, nulla fere ſpes ſupereſt, & vix medelam requirit, atque mortem cito futuram ominatur; non tamen hoc obſtat, quo minus Medicus tentet, ut liquidum extravaſatum, a venis lymphaticis aſorbeatur, quod aliquando accidiſſe Auctores mentionem faciunt, praecipue in illis, quibus a lympha extravaſata ortum duxit. Medicamenta quae hoc in caſu uſu venire poſſunt, referuntur fortiſſima purgantia hydragoga, calidiora ex Scammonio, Jalappa, Colocynthide, Gummi Gotta & ſimilibus, quae lympham in cavis corporis congeſtam & extravaſatam feliciter evacuant: Si vero diglutitio quoque impedita eſt, tale purgans hydragogum clyſmatis inſtar, tripla vel quadrupla doſi ano injiciatur, quo injecto cito evacuatio alvina ſequitur, bis terque repeti poteſt, capitique Cucuphae dictae applicandae ſunt, quae aromatico ſtimulo ſuo motum languidum excitant, movent: Veſicatoria, ſe-

ſetaceâ, fonticuli hic magnae utilitatis ſunt, uti ex antedictis patet.

§. XXXI.

Quae vero ab extravaſato ſanguine orta eſt, quod ſaepe accidit a contuſione, vulnere, aut ab acrimoniâ a corruptis humoribus natâ, quae vaſa corrodendo cruoris extravaſationem in interiora encephali producit, abſolute deſperandum, cum ſanguis extravaſatus in grumos concreſcit, difficulterque diluitur, ut tenuior redditus a venis abſorbeatur; neque operatio Trepanationis hic nihilum juvat, cum materies extravaſata in interioribus encephali datur, quae tamen tentari poteſt ſine ullâ moleſtiâ aegri, cum omnibus ſenſibus caret: ex cruore igitur extravaſato immoto & ſtagnante nata acrimonia, tenerrima cerebri medulla deſtruitur, in materiem ichoroſam mutatur, quorum omnium malorum mors certum finem facit. Hiſce L. B. ſi placuêre, fruere & vale.

FINIS.



ΤΗι ΦΙΛΤΑΤΗι ΚΕΦΑΛΗι,

ΣΟΦΩΤΑΤΩι ΝΕΑΝΙΑι,

ΕΜΜΑΝΟΥΗΛ ΑΡΓΥΡΟΠΥΛΩι,

Ὅτε τῆς Ἰατρικῆς Διδάσκαλος προσηγορεύθη.

α.

Φάμα, εὐάγγελε Φάμα,
Ἅτις, ὑψηλᾶν ἀρετᾶν
Γλυκεῖα κάρυξ, εὐάνορσιν
Ἥρωσι πλέκεις αἶνον ὕμνων:
Βάσκ', ἴθι μεγάλαν Βύζαντος πόλιν,
Σαλπίξευσα πᾶσιν Ἑλλάνεσσιν
Ἀργυροπύλω ζαλωτὸν κλέος;
Ὃς σωφροσύνᾳ καὶ τρόποισι μειλίχοις
Ἄρεσε Σοφοῖς Βαταύων,
Συνεχεῖτε σπουδᾷ τὸν ἀρίδαλον
Στεφανὸν Ἰατρικᾶς
Τέχνας δίκᾳ κόμισεν.

β.

β.

Τοίγαρ κἐν Δωρίδι μολπᾷ
Μῶσα νῦν χόρδας με κρέκειν
Λύρας κελεύει λιγυφθόγγου:
Ἀγλαΐατ' ἀθίκτων Πίνδου
Δρέψασα πολυδένδρου ἐκ δειράδων
Δάφνας ἔρνος ἠϋηράτοιο
Ἀμφιβαλοῦσα καρήνῳ στέφος
Τοῦ φιλτάτου καὶ τιμίου Μαχάονος;
Ἀρεταῖσιν ὃς προλάμπων
Κλυταῖς τε Φιλυρίδαο τέχναις
Ἔσεται φίλοις ἀστοῖς
Δεινῶν Ἀλκτὴρ παθέων.

γ.

Παιὰν, Κόιρανε Τέχνας,
Ἱερὰν Μώσαις ὃς σκοπιὰν
Ἀμφιπολεῖς Παρνάσσοιο,

Ἵλαος ἴσθι τοῖς ἐμοῖς εὔγμασιν:
Δόσε ΑΡΓΥΡΟΠΥΛΩι ἄμβροτον κῦδος,
Ὑγείαντε φιλανορίαντ᾽ αστῶν
Σὺν χρήμασιν ἀφθίνοις. Σὺ δ᾽ ὦ
Φίλταθ᾽ ἕταιρε, μνήσεαι τῆς φιλίας
Διδασκάλουτε. Σεῖο μὲν ἀκίνδυνος
Βίος γένοιτο, Τύχα δὲ μοι κράνοι
Ἐπέων μελιάδεα γάρυν,
Μουσάωντ᾽ ἐσθλὰς χάριτας, μόνοισίτε
Σοφοῖς ἀρέσκειν.

EZRA DE CLERCQ van JEVER.

N O-

NOBILISSIMO

JUVENI,

EMMANUELI ARGYROPULO,

Summos in Medicina honores auſpicanti.

Ut mea mens gaudet, dulciſque in corde voluptas
 Surgit! Jo! Vati, Turba novena, fave!
Nunc mihi, nunc gracili tenuandum carmen avena,
 Emmanuel lauru tempora cinctus ovat!
Hoc meruit ſtudiis ſemper vigilata ſeveris
 Cura, Machaoniis mensque operata ſacris.
Sed mea Muſa, impar meritas decurrere laudes,
 Ad veſtros ſiſtit debita vota pedes.

Vive diu felix, Magnamque reverſus in urbem
  Aegrotos ſana, quos ibi languor habet.
Sic retrahas multos patulis ex faucibus Orci,
  Et dubium doctâ ceſſet ab arte malum!
Sic tibi pro meritis, (quæ rara eſt gloria) vivo.
  Perſolvat grates debitus Urbis amor!

φιλίας ἕνεκα

JANUS ANDREAS NICOLAUS CARPENTIER.

AAN

AAN DEN

WEL-EDELEN HEERE

EMMANUEL ARGYROPULUS,

Toen zyn Wel-Edele tot Meester in de Genees-kunde wierd ingehuldigt.

PER ARDUA AD ASTRA.

't Verboden Ooft, geproeft in Edens groene dreven
Breekt noch den nazaet op, en staet al 't menschdom duur,
Door ziekte en kwael bestreên, valt hem het leven zuur,
Tot eindelyk de Doot den laetsten slag komt geven.

Maer d'edele Artzeny, noit naer waerdy verheven,
Doorsnuffelt onvermoeit het binnenst' der Natuur,
Herstelt de vochten in 't verzwakte levensvuur,
Enrekt, spyt ziekte en doot, den draet van s' menschen leven.

Geluk, Wel-Edel Heer! die in deez' wetenschap
Met lust uw tyt besteedd', waar door gy thans dien trap
Van eer beklimt; lang moet elk van uw lof gewagen!

Lang strekke uw trouwe hulp den lydeling ten stut,
Zoo leeft ge uw zelfs en ook uw evenmensch tot nut:
Zoo word' uw naem met roem ten sterren ingedragen.

ANTONIUS VAN NIEL,

Med. Stud.